UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Satyrvs C. 17. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

Visual Library

gratum ſe fore exiſtimans, ſi regiæ famæ & ſaluti conſuleret, liberrimis verbis ob pellicem Alpaidem caſtigavit, hanc neque poculo, neque alloquio, licèt multùm ambiret, dignatus oſtendit etiam hæc, quid mulier irata & pellex poſſet; & germano adnitente Dodone, LAMBERTVM cum ſociis obtruncavit. Sed & cælum iratum oſtendit, quid contra impios poſſet, Et Dodoni quidem putreſcenti humum etiam negatam ſcribunt: cum verò, qui Divo lethale vulnus inflixit, duello & fratrem peremiſſe, & peremptum ab eodem fuiſſe; omnes denique ſcelerum ſocios aut mortuos ilicò eſſe, aut diu, hoc eſt miſerè, vixiſſe. Illud omnino memorabile, odium, quo infandos amores perſequebatur LAMBERTVS, ab animo etiam in corpus demortui tranſiſſe, & cùm paſſim exanimi oſcula ferret vulgus, arcanâ vi ſolas ab his pellices excluſas eſſe. Atque hujus odii tam ſancti hæredem te hodie LAMBERTVS vult, Mariane. *Ex Surio & Graſſ.*

Quid ſuavius homini, quid jucundius, quàm mundum contemnere, & ſe reputare ſeculo celſiorem atque in bonæ conſcientiæ vertice conſiſtentem mundum habere ſub pedibus, & nihil in eo videre quod appetat, cui invideat, quem metuat? S. Bern. op. de Char. c. 18.

S. SATYRVS C. 17. *Septembris.*

AMbroſium in SATYRO vides. Nam frater hic illius fuit, non virtute modò, ſed vultu quoque & habitu corporis tam germanus, ut familiarium etiam oculos falleret. Et neſciiſſent hi ſæpiùs, quamnam ex duobus alloquerentur, niſi amor & vitæ morumque ſimilitudo, adeoque animorum conſenſus unum jam pridem ex geminis fecil-

fecissent. Erat porrò in SATYRO ea animi ſimplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut ſerpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum jure dixiſſes. His ille præſidiis instructus rem fratris domeſticam ita adminiſtrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi ſibi oculos credebat Ambroſius, cùm ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cùm negotia id exigebant. Et ecce navim conſcendit SATYRVS, ſed non ſine armamentis. E collo Angelorum panem ſuſpendit. Mox venti inſurgent & fluctus navim expugnant. At SATYRO naufrago non commeatus, non vela, remi, malus, non anchora deeſt, omnia hæc adſunt in SS. Euchariſtiâ. Illo ſuccollante, quem collo ipſe ferebat, emergit; &, Anathema templo ipſum Servatorem ſuum gratus donat. Credidit in portu ſe eſſe, & fuit, non tunc quidem, ſed paulò pòſt, cùm beatâ morte defunctus eſt. Verùm tunc naufragum Ambroſium lacrymis vidiſſes. *Ex ipſo D. Ambroſ.*

Beatus qui ſanctæ Communioni atque orationi tanquam cæleſtis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo dæmoni, ut animum ſuum expugnet & abducat à Deo Servatore. S. Ephrem in Beatitud.

S. HILDEGARDIS V. 17. Septembris.

NEſcio quid de HILDEGARDE ſentiendum, mundúmne deſeruerit, an potiùs nunquàm fuerit in mundo; quippe IIX. annorum virguncula inter virgines ſacras adlecta. Cæleſtia ab ipſis annis videre habuit, numque hæc prodidit, quandiu ſermone non potuit. Litteras, quas nunquàm didicit, ſcripſit tamen, eaſque non ſuâ linguâ: atque ut cantaturam ſcires olim, quod canere alii

deſpe-